UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Dispvtationes Theologicae

Quatuor Tomis distinctæ: Qvibus Vniversa Theologia Scholastica Clare, Breviter & accuratè explicatur

De Deo, Et De Angelis

**Martinon, Jean**

**Burdegalae, 1644**

Dispvtatio XVIII. De prouidentia Dei.

urn:nbn:de:hbz:466:1-73898

Visual Library

actus ad huiuſmodi virtutes pertinent: quia ſecundum præſcriptum rationis verſantur circa ipſarum obiecta, vt ſic. Nec obeſt quòd non feruntur in illa vt exercenda ab ipſomet amante, aut quòd non cum difficultate amentur aut placeant. Neutrum enim generatim ad actum virtutis neceſſarium eſt: ſed vt ſit actus aut habitus electiuus ſecundum rectam rationem, ex Ariſtotele 6. Ethic. Et quamuis totales virtutes & integræ non verſentur tantùm circa obiecta per ſe, vt auulſa ab vſu eius in quo eſt virtus: ſed valeant etiam ad operandum efficaciter, circa ea quæ ſunt coniuncta cum illarum vſu & exercitio, & ad vincendas difficultates, ſi quæ oriuntur reſpectu operantis: tamen affectus illi per ſe ſunt boni & honeſti, & ad eaſdem virtutes attinent, non ad aliam, formaliter vt tales ſunt: poſſuntque tam perfecti eſſe, vt nihil illis deſit ad perfectiſſimam efficacitatem, & ad vincendam quamlibet difficultatem. Licet difficultas operantis ad virtutis rationem & exercitium neceſſaria non ſit. Vt ex eo confirmatur, quòd tunc maximè perfectæ ſunt virtutes, quando difficultas abſceſſit: quódque in Beatis virtutes ſunt maximè perfectæ, in quibus nulla eſt difficultas: eſt tamen tantus affectus, vt ſufficeret contra omnem difficultatem.

41. Licet ergo priores actus virtutis fortitudinis, temperantiæ, & ſimilium, qui ſupponunt imperfectionem, non poſſint ei conuenire, qui non habet imperfectionem: ſecus tamen poſteriores. Et ita v. c. Beatus, qui eſt impaſſibilis, non poteſt ferre aliquid durum, nec poteſt habere actum ferendi ardua patienter: tamen affectus actualis, & efficax quantum in ipſo eſt, ad tolerantiam moleſtiarum, & aggreſſionem arduorum, in Beato eſſe poteſt. Et generatim actus veri & perfecti cuiuſque virtutis, poſſunt eſſe in voluntate ſequente dictamen rationis circa vnũquodque obiectum ſecundum propriam cuiuſque differentiam.

Sic igitur Deus, licet non omnes virtutum affectus in ſe exerceat; continet tamen in ſua voluntate excellentes affectus puros, & interiores actus virtutum, non tantùm eſſentialiter, quatenus per ſuam eſſentiam eſt amor omnium poſſibilium bonorum, & odiũ malorum turpium, ſecundum eſſe poſſibile: ſed etiam contingenter & liberè, quatenus optat, facit, aut curat vt naturæ rationales quæ recta ſunt ſequantur, & oppoſita declinent. Cuius rei ſignum eſt lex diuina. Nam per illam (quæ eſt diuinæ voluntatis index) præcipiuntur, conſuluntur, & commendantur ea quæ ſunt conformia virtutibus; & contraria prohibentur. Vnde Deus amat excellenter fortia, temperata, &c. & licet non poſſit ipſe alteri ſupremum cultum religionis tribuere, amat tamen & vult vt naturæ ſupremæ tribuatur honor ſupremus, etiã citra conſiderationem quod ipſe ſit illa natura: quæ eſt perfectio propria religionis. Et quamuis diuinæ voluntatis non ſint multi actus in re, ſed vnicus: per illum tamen verſatur ſingillatim & diſtinctè circa obiecta virtutum omnium: ſicut per actum intelligentiæ attingit diſtinctè omnia intelligibilia ſecundum proprias differentias. Nec tantùm verſatur diuina voluntas per quandam eminentiam circa omnium virtutum obiecta, comprehenſa ſub vna communi ratione; ſicut charitas ſub vna communi ratione boni vel mali eius quem amat, cõplectitur aliarum virtutum obiecta, vt ipſi bona vel mala: ſed etiam verſatur circa ſingula ſecundum proprias rationes, vt tales, non minùs quàm intelligentia Dei attingit omnia ſub proprijs rationibus.

42. Deus habet affectus excellentes omniũ virtutum.

# DISPVTATIO
## DECIMA OCTAVA.
### De prouidentia Dei.

Sectio I. *An Deus rebus prouideat?*

Sectio II. *Quid ſit prouidentia: & quod eius ſubiectum, & obiectum?*

Sectio III. *An & quomodo Deus generaliter rebus omnibus prouideat, ita vt nihil ſit quod ſub eius prouidentia aliquo modo non cadat?*

Sectio IV. *Vtrum prouidentia rebus prouiſis neceſſitatem imponat?*

DE prouidentia Dei diſputat ſanctus Thomas tota quæſtione 22. Et primò docet neceſſarium eſſe ponere prouidentiam in Deo. Quia cùm Deus ſit cauſa rerum per intellectum, oportet rationem ordinis rerum in finem in mente diuina præexiſtere. Eſt enim manifeſtum reperiri in rebus creatis ordinem earum in finem, & præcipuè in finem vltimum. Ratio autem ordinis
Boët.lib. 4. Proſa 6. rerum in finem, propriè prouidentia eſt. Vnde Boëtius lib.4. de conſolat. dicit prouidentiam eſſe ipſam diuinam rationem in ſummo omnium principe conſtitutam, quæ cuncta diſponit. Secundò, omnia diuinæ prouidentiæ ſubiacere, non ſolùm in vniuerſali, ſed etiam in ſingulari. Tantùm enim ſe extendit ordinatio effectuum in finem, quantùm ſe extendit cauſalitas primi agentis. Cauſalitas autem Dei, qui eſt primum agens, ſe extendit vſque ad omnia entia, non ſolùm quantùm ad ſpeciem, ſed etiam quoad indiuidua, tam corruptibilium, quàm incorruptibilium. Vnde neceſſarium eſt omnia quæ habent quoquo modo eſſe, ordinata eſſe à Deo in finem, ſecundum illud Apoſtoli Rom. 13. *Quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt.* Tertiò, Deum immediatè omnibus prouidere quoad rationem ordinis rerum prouiſarum in finem. Quia in ſuo intellectu habet rationem etiam minimorum: & quibuſcunque cauſis dedit virtutem producendi ſuos effectus. Quantùm autem ad executionem ordinis, Deus per aliqua media prouidet: quia inferiora gubernat per ſuperiora, non propter defectum ſuæ virtutis, ſed propter abundantiam ſuæ bonitatis, vt dignitatem cauſalitatis etiam creaturis communicet. Quartò, prouidentiam diuinam quibuſdam rebus neceſſitatem imponere, non autem omnibus. Quia ad diuinam prouidentiam pertinet omnes entium gradus producere. Et ideo quibuſdam effectibus præparauit cauſas neceſſarias, vt neceſſariò euenirent: quibuſdam cauſas contingentes, vt euenirent contingenter, ſecundum conditionem proximarum cauſarum. Hęc D. Thom. quę ſequentibus ſectionibus explicanda ſunt.

## SECTIO I.

*An Deus rebus prouideat?*

1 CONCLVSIO affirmatiua eſt de fide, & patet ex Scriptura. *Tua autem pater prouidentia gubernat*, Sap. 14. & Matth. 6. *Reſpicite volatilia, cœli quoniam neque ſerunt neque metunt, neque congregant in horrea, & pater veſter cœleſtis paſcit illa.* Idemque ſatis oſtendit vniuerſi diſpoſitio, de qua nonnihil diximus diſput. 1. ſect. 5. & plura Leſſ. lib. de prouidentia numinis cap. 2. & è
Probatur eſſe in Deo prouidentiam.
Chryſoſt. Patribus Chryſoſtom. præcipuè in homiliis de prouidentia & de fato, aliiſque variis: cuius inter alia elegantiſſima hæc ſunt homilia 10. ad populum: *Si breue hoc & modicum corpus* (de humano loquitur) *medicaminibus tot vtens,* &c. *perit tamen & corrumpitur, ſæpius turbatione in eo facta: quomodo tantus mundus ex iiſdem compoſitus elementis, niſi prouidentia multum cepiſſet, tanto tempore imperturbatus manere potuiſſet? Si nos non naturâ, ſed voluntate malè affecti erga inuicem, ſponte non conuenimus, donec manemus inimici, ſed altero qui nos iungat indigemus, & in pace contineat: quomodo elementa neque rationem, neque ſenſum habentia, & ſibi per naturam inimica, conueniſſent, & ſimul manere potuiſſent, niſi maior vis* &c. *Nequid plus dicam, nauigium mundum eſſe puta, temonem ſuppoſitam terram, velum cœlum, rectores homines, mare ſubiectam abyſſum: Quomodo igitur tanto naufragium tempore non eſt factum? Dimitte nauigium diem vnum abſque gubernatore & nautis* &c. *Quid dico nauigium? Caſulam in vineis aliquis com-*

*pegit, & fructu ablato deſertam reliquit; & neque duos ſæpe dies permanet. Igitur tugurium abſque prouidente non ſtaret, & mundus ſtabit?*

2 Exempla [illegible] effectus [illegible] diuinæ.

Specialiter verò elucet Dei prouidentia in tam conſtanti, tam artificioſa, & tam apta ad bonum rerum inferiorum, cælorum conuerſione: in fontium, & fluminum toto orbe diſperſorum perennatione: in mirabili tot ſpecierum, præſertim animalium, conſeruatione: in ſtupenda frugum, ſeminum, & aliarum rerum, ad animalium victum & commoditatem neceſſariorum, multiplicatione: in vultuum humanorum, & vocum, & ſcriptionum diuerſitate, vt inter infinitos vix duo plane ſimiles reperiantur, ex cuius oppoſito ſequeretur magna confuſio, & rerum perturbatio: in eorundem hominum tanta ingeniorum, humorum, & affectuum differentia, vt alij præſint, & alij ſeruiant, & nunquam deſint, qui neceſſariis quibuſcunque officiis, & miniſteriis, etiam viliſſimis moleſtiſſimiſque incumbant: in Eccleſiæ Chriſtianæ contra Romanorum Imperatorum, aliorúmq; perſecutorum potentiam, hæreticorum inſultus, & malorum Chriſtianorum corruptionem, perpetuatione: in non infrequenti hominum ſceleratorum, per quæ quiſque peccauit, caſtigatione: cum malè parta malè dilabuntur: cum qui occidit, occiditur: qui ſe nimium extulit, deprimitur: qui crudelis in alios extitit, crudeliter & ipſe tractatur: cum impiorum conſilia & machinationes repente ſubuertuntur: cum occulta ſcelera mirabiliter deteguntur. Quibus exemplis abundant ſacræ prophánæque hiſtoriæ, & noua identidem occurrunt.

3 Obiectiones Atheorum contra prouidentiam.

Neque obeſt quòd malis bene, & bonis malè plerumque eueniat hac in vita: quo potiſſimum argumento mouentur Athei, & Semiathei, vt de diuina prouidentia dubitent. Nam cùm anima ſit immortalis, non deeſt locus neque tempus, quo poſt hanc vitam cuique pro meritis eueniat, iuxta illud Luc. 16. *Recordare fili quia recepiſti bona in vita tua*, &c. Interea verò conueniens eſt Deum ſinere homines liberè agere, vt ſponte ad virtutem ferantur, non amara neceſſitate compulſi: neque pro meritis ſtatim punire peccatores, ſed patienter ad pœnitentiam expectare, maláque plurima permittere ob eximia bona, quæ inde conſequuntur. Malitia enim impiorum ſeruit coronæ iuſtorum & gloriæ. Neque tamen ita dormit diuina prouidentia in ſæculo præſenti, vt omnia futuro reſeruet, & interdum non ſe ſatis apertè exerat, vindictámque malorum, diu licet toleratorum, exerceat, vt antea notauimus.

4 Ineptum verò eſt quod obijciunt Semiathei, indignum eſſe diuinæ maieſtati ad tam vilia & minuta, cuiuſmodi ſunt res humanæ & mundanæ, deſcendere: cum Deus ſit ſeipſo beatiſſimus, maximus, perfectiſſimus, neque ex rebus creatis quicquam illi accedat. Nam vt rectè Leſſ. cap. 3. de prouidentia numinis: Cùm homo ſit opus Dei, cuius menti ipſe leges iuſtitiæ, omniſque virtutis impreſſit: maximè ad eum pertinet, illius curam gerere vt ſecundum illas leges viuat. Ad opificem enim pertinet curare ſuum opus, & ad legiſlatorem, vt leges ſuæ ſeruentur. Parentis, intereſt quomodo ſe gerant filij. Deus autem eſt omnium parens. Vtque nemo eum probauerit qui palatium à ſe conſtructum conſeruare negligit: nec legiſlatorem, qui conditis optimis legibus, nullam curam adhibet, vt mandentur executioni; ſed omnia permittit ſubditorum arbitrio: nec parentem, cui nulla de filiorum moribus & vita eſt cura. Quantò minùs probandus eſſet ille Deus, qui tam eximium opus à ſe factum negligeret, & nullam curam rerum humanarum gereret, præſertim cùm facillimè, & abſque vllo labore poſſit illas gubernare? Nam cùm ſit perfectiſſimè infinitus in intelligendo, omnia ſine vllo labore intelligit. Cúmque ſit omnipotens, exequitur ſine difficultate quiquid vult.

Alia quædam obijciebant olim infideles contra Dei prouidentiam, quæ referunt & 5
plenè refutant Auguſt. in Pſalm. 148. & Chryſoſt. hom. 12. & 61. ad populum Antiochenum, & homil. 19. in epiſtolam ad Epheſios, apud quos legi poſſunt. Hieronymus verò in caput primum Abacuc, verſus finem, cùm ait eſſe abſurdum deducere diuinam maieſtatem ad hoc vt ſciat quot culices naſcantur &c. tantùm vult Deum non eodem modo ſcire (tam ſcilicet attendendo & curando quid fiat) ea quæ pertinent ad bruta animalcula, atque ea quæ ad homines, præſertim circa ſalutem, cuius Deus longe maiorem curam gerit, multáque propter illam facit præter, & ſupra, & contra rerum naturalium ordinem. Quo etiam ſenſu ait Apoſtolus 1. Corinth. 9. *Nunquid de bobus cura eſt Deo?* Neque enim negat Deum vllam eorum curam & prouidentiam habere: ſed vult tantùm ſignificare Deum maiorem habere hominum: ſicut & illud Deuter. 25. *Non alligabis os boui trituranti*, quod Paulus ibidem citat, & explicat non ita eſſe dictum de bobus, quin potiùs referatur ad homines, ad ſignificandum quod qui aliorum cauſa laborant in ſpiritualibus, debent ab illis accipere temporalia ad victum neceſſaria. Et qui paſcit gregem, debet lacte gregis nutriri, vt ait ibidem verſ. 7. & 11.

Auguſt. Chryſoſt. Hieron.

---

## SECTIO II.

### *Quid ſit prouidentia?*

HAc de re inter Theologos controuerſia eſt. Quidam enim in actu ſolo intel- 6
lectus prouidentiam conſtituunt, vt D. Thom. quæſt. 22. artic. 1. vbi definit prouidentiam eſſe rationem, id, eſt cognitionem ordinis rerum in finem. Alij in actu voluntatis, vt Scotus, S. Bonauentura, & D. Damaſcen. lib. 2. de fide cap. 29. vbi definit proui-

Variæ ſententiæ. Damaſcen.

dentiam diuinam eſſe voluntatem Dei per quam res omnes aptè congruentérque gubernantur, id eſt, ad fines ſuos diriguntur: gubernatio enim eſt rerum ad finem, directio in executione, vt ait S. Thom. quæſt. 22. art. 2. Alij tertiò in vtroque actu conſtituunt, vt Alenſis parte 1. quæſt. 26. memb. 2. & qu. 28. membro 1. art. 2. ad 2. & Moliña ad qu. 22. art. 3. diſput. 2. Sunt denique qui media via incedentes aiunt nomen prouidentiæ formaliter & directè ſignificare actum intellectus ſuprà dictum, connotatiuè verò actum voluntatis: vel ex oppoſito, directè actum voluntatis, & connotatiuè actum intellectus. Quæ controuerſia leuis momenti eſt, vt fatentur omnes. Si autem modum loquendi conſulamus, certum eſt primò, cognitionem ordinis rerum in finem, id eſt, modi quo res in finem ſuum dirigendæ ſunt, prouidentiæ nomine appellari poſſe: imò etiam generaliùs quamcunque præuiſionem ſeu præcognitionem futurorum ac vim præconſiderandi futura. Quæ vis eſt pars prudentiæ, multúmque confert ad ſtatuendum de agendis: ſicut & memoria præteritorum, & inſpectio præſentium.

D. Thomas

Prouidẽtia includit actum intellectus, & voluntatis, atque etiam executionis.

7. Secundò, negari non poteſt quin voluntas, ſeu ſtudium perducendi res ad finem, eodem nomine dici ſoleat. Imò hic potiùs eſt ſenſus illius vocis, quando quæritur an Deus rebus creatis prouideat? Quæritur enim, non ſolùm an ordinem rerum in finem cognoſcat: ſed an curam earum gerat, velitque ad proprios fines per media idonea ducere? Eodémque ſenſu prouidere ſibi aut proſpicere dicitur, ille qui curam gerit habendi neceſſaria ad viuendum ſaltem conuenienter ſuo ſtatui. Item ille dicitur prouidere aut proſpicere filiis, qui eos ſua voluntate ad aliquod vitæ genus conueniens ordinat, & mediis idoneis ad illud promouere curat. Quæ cura, licet cognitionem requirat, ſine qua ſtudium voluntatis & cura eſſe non poteſt; non eſt tamen cognitio, neque in principio cognoſcendi vt tali: ſed eſt in affectu & in voluntate, cuius actum propinquiùs ſequitur executio, quàm ipſam cognitionem. Voluntatis enim eſt imperare, & applicate potentiam executiuam: intellectus verò eſt dirigere: & potentiæ, exequi. Quam diſtinctionem, etiam in Deo, agnoſcit S. Thom. quæſt. 25. artic. 1. ad 4. & alij multi Theologi.

8. Tertiò, negari etiam non poteſt quin vterque actus, & quidem directè ac formaliter, includi poſſit in conceptu prouidentiæ cuiuſdam totalis & adæquatæ: ita vt ſicut iuſtitia integra & perfecta, & prudentia, aliæque virtutes totales, in multis actibus veluti componentibus conſiſtunt: ſic prouidentia quædam totalis, & perfecta, ex pluribus actibus tum intellectus, tum voluntatis, conſtituatur. Videlicet tum ex cognitione finis & mediorum conuenientium, quæ eſt in intellectu, tum ex intentione finis, & electione ac præparatione mediorum conuenientium quæ intentio, & electio ac præparatio ſeu deſtinatio mediorum, ſunt in voluntate. Quin etiam applicatio potentiæ executiuæ ad exhibenda media quibus finem aſſequamur, & actualis ipſa gubernatio, id eſt, directio ad finem in executione, præuia illius aſſecutioni, pertinere iure poteſt ad prouidentiæ totalis conceptum. Nam iuxta ſenſum & modum loquendi communem hominum, cuius maximè habenda eſt ratio in vocum acceptione, dicitur aliquis prouidere alteri, etiam tunc cùm tribuit aut comparat illi neceſſaria ad finem conſequendum, putà ad commodè viuendum, ad proſperè nauigandum, ad bellum aptè gerendum. Ipſaque alimenta, & alia ſubſidia ad fines illos comparata, vulgò vocantur *prouiſiones*: quique illa comparant & coëmunt, vocantur *prouiſores*. Neque obeſt quod prouidentia dicatur quaſi *præuidentia* ſeu *præuiſio*, quæ vox ſignificat anteceſſionem quandam prouidentiæ, reſpectu executionis. Reſpondeo enim primò prouidentiam plus ſignificare quam fert ethymologia, alioqui ſignificaret tantùm actum intellectus. Nam præuidere mente, eſt præintelligere. Secundò dico ſeruari anteceſſionem ſufficientem in eo quòd exhibitio illa mediorum, & applicatio potentiæ executiuæ ad illa comparanda & exhibenda, eſt aliquid præuium aſſecutioni finis propter quam fit.

9. Atque hunc ego conceptum prouidentiæ, vt perfectiorem & adæquatè omnia complectentem, cæteris antepono. Ille verò primus prouidentiæ conceptus pro actu ſolo intellectus, valde imperfectus eſt, & à præſenti conſideratione alienus. Neque enim prouidere perfectè ſibi vel aliis dicitur ille, qui tantùm præuidet finem vel media conuenientia, niſi applicare ſatagat, quod voluntatis eſt. Ideóque S. Thom. qu. 22. art. 1. ad 3. prouidentiam in intellectu & cognitione ita conſtituit, vt tamen actum voluntatis ſupponat: tametſi de conceptu formali prouidentiæ non eſſe putat huiuſmodi actum voluntatis. Sed alter modus philoſophandi iam propoſitus nihil habet incommodi, & propter rationem expoſitam magis placet.

10. Quartò denique, ad conceptum integrum prouidentiæ Dei addendum eſt, illam non modò eſſe voluntatem & ſtudium perducendi res creatas ad finem conuenientem, mediaque idonea apponendi: ſed etiam eſſe curam & ſtudium nihil permittendi temerè fieri, quodque ad bonum aliquem finem ab ipſo non referatur, & iuſtis de cauſis fieri permittatur. Quam ſecundam partem prouidentiæ addo propter peccata, in quibus permittendis Deus exercet ſuam prouidentiam, vt & in pœnis temporalibus atque æternis, quas reprobis infligit. Etiamſi per peccatorum permiſſionem, & pœnarum æternarum inflictionem, non dirigat reprobos ad finem ſibi conuenientem, à quo potiùs ipſos peccando aberrare permittit. Sed hæc ſecunda prouidentiæ pars eſt minùs præcipua, &

Prouidẽtia integrè ſumpta, ad quæ ſe extendat.

pertinens tantùm ad voluntatem Dei ſecundariam & conſequentem. Prior verò eſt præcipua, & pertinet ad primariam, & antecedentem Dei voluntatem, quâ vult creaturas, præcipuéque intellectuales, ad finem ſibi conuenientem dirigere & perducere. Quam ob cauſam puto Theologos cum D. Thoma, & D. Damaſceno, locis ſuprà citatis, mentionem tantùm illius facere in prouidentiæ definitione, ac per illam ſui partem nobiliorem, & fauorabilem, prouidentiam deſcribere. Quanquam definitio relata ex Damaſceno, *Prouidentia eſt voluntas Dei per quam res aptê congruenterque gubernantur*, poteſt facilè vtramque partem complecti. Pertinet enim ad rectam & prudentem gubernationem, & mala aliqua permittere, id eſt ſinere fieri, & delinquentes punire, ad bonumque finem omnia reducere. Idémq; dico de altera definitione Boetij lib. 4. de conſolatione proſa 6. quam refert S. Thom. quæſt. 22. art. 1. *Prouidentia eſt ipſa diuina ratio in ſummo omnium principe conſtituta, quæ cuncta diſponit.*

11. Subiectum prouidentiæ, & obiectum.

Ex dictis collige primò, prouidentiam partim eſſe in intellectu, partim in voluntate, imò etiam ſecundum quid in potentia executiua. Secundò, obiectum prouidentiæ fauorabilis, & primariæ, eſſe res ad finem ſibi conuenientem perducendas per media idonea. Tertiò, ad perfectam prouidentiam tria requiri præter cognitionem. Scilicet intentionem finis, ad quem aliquid ſit dirigendum, & promouendum per media idonea: & deinde conſtitutionem mediorum, per quæ ad finem perduci poſſit: ac denique applicationem mediorum, & executionem. In quo toto negotio priores quidem partes ſunt intellectus, vt cognoſcat & proponat: poſteriores verò & proximæ executioni, ſunt voluntatis, vt eligat & determinet, atque applicet media.

12 Finis poteſt dupliciter intendi per prouidentiam.

Finis autem per media obtinendus poteſt dupliciter eſſe volitus. Primò, per deſideriū quoddam, etiam aliquatenus efficax, non tamen excludens voluntatem permittendi oppoſitum. Secundò, per voluntatem adeò abſolutam & determinatam, vt non compatiatur oppoſitum, neque impedimentum efficax aſſecutionis. Sic nos quædam ita volumus, vt ſimus parati tendere contra quæuis impedimenta: quædam non ita. In Deo autem eadem varietas intelligi poteſt dupliciter. Videlicet quia Deus velle poteſt alicui bonum, ſiue naturale, ſiue ſupernaturale, tam abſolutè & determinatè, vt ponat media certiſſima quæ ſint omninò effectum habitura, neque velit permittere oppoſitum. Poteſt etiam velle alicui bonum minùs efficaciter: ita vt ponat media, quæ licet ſufficientia ſint (hoc enim ſaltem ad prouidentiam neceſſarium eſt) poſſint tamen non habere effectum, ſitque paratus permittere vt non habeant: & poteſt etiam velle ea quibus de facto aliquid obſtabit, ita vt cum vero finis deſiderio, ſit tamen voluntas permittendi oppoſitum finis & mediorum.

Illud quoque ſecundò circa voluntatem finis & mediorum notatu dignum eſt, quòd licet finis neceſſariò priùs expetatur quàm medium: non tamen idcirco neceſſe ſit vt expetatur eodem modo. Nam finis poteſt expeti ſimplici affectu, aliquatenus efficaci, non tamen adepturo finem: licet medium omninò efficaciter expetatur eodem actu voluntatis. Ex. gr. qui dat mille aureos alicui ex deſiderio vt ille domicilium emat, ita tamen vt executionem ipſi liberam relinquat; habet ſimplex deſideriū finis, ſed efficaciter vult dare mille aureos quos dat. Sic Deus priùs quidem vult alicui finem, quàm media: poteſt tamen efficaciter velle dare aliquid propter finem, quem non vult voluntate tam efficaci, vt omninò ſit habitura euentum, nec vllo modo patiatur oppoſitum: efficaci tamen aliquatenus, ſcilicet eò vſque vt moueat ad ſuppeditanda media. Sic enim v. g. voluit efficaciter Chriſtum mittere Iudæis propter eorum ſalutem: quam tamen non voluit efficaciter voluntate non compatiente permiſſionem oppoſiti, quod in multis de facto contigit. Atque hæc doctrina non tantùm vera eſt, quando volumus finem conſequendum per alium, vt in prædicto exemplo: ſed etiam de fine per nos ipſos conſequendo. Interdum enim media quædam faciliora aut leuiora adhibemus, quæ ſi non ſufficiant, abſtinemus à grauioribus. 13 Poteſt medium efficaciùs expeti, quàm finis.

Nec obeſt quòd eâdem voluntate quâ volumus media, neceſſariò volumus finem. Voluntas enim non idcircò vtrumque reſpicit eodem modo, ſed diuerſo: efficaciter medium, inefficaciter finem. Sicut licet cognitio concluſionis, ſit neceſſariò præmiſſarum: diuerſo tamen modo eſt. Interdum enim circa alteram præmiſſarum eſt aſſenſus aut affirmatio: circa concluſionem verò ex altera præmiſſa negatiua deductam, eſt diſſenſus aut negatio. 14

Nota tertiò, Bonum, ad quod, veluti finem, per prouidentiam res ordinari poſſunt, aliud eſſe rebus intrinſecum, aliud extrinſecum: aliud proprium, & aliud commune: aliud naturale, & aliud ſupernaturale. Quæ diſtinctio maximè locum habet reſpectu hominum, & angelorum. Inter media quoque, ea præcipuè quæ ad finem ſupernaturalem ſunt à Deo poſita, quædam ſunt communia & remota, quæ ſunt omnibus in commune data, ſiue ad omnium bonum in commune expoſita: quale erat quod in primo parente toti humano generi datum erat: quale etiam eſt inſtitutio legis ſeu religionis Chriſtianæ, à qua nullus quantum eſt ex parte Dei excluditur, & per quam omnes ad finem ſuum ſupernaturalem peruenire poſſunt. Alia ſunt media propria, & magis particularia, quæ non omnibus collata ſunt: cuiuſmodi ſunt multa auxilia diuina ſpecialia, & multæ vo- 15 Fines & media prouidentiæ diuinæ ſunt multiplicia.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

cationes, multáque alia quæ fiunt ſpecialiter circa plurimos vel à Deo per ſe, vel per angelos, vel per homines, vel quacunque ratione, per quæ illi, circa quos fiunt, mouentur in finem.

16 Iuxta illam varietatem prouidentia duplex eſt, quædam communis & generalis, quædam ſpecialis: & vtraque habet quoſdam gradus. Alia enim maior, alia minor eſt: quædam etiam eſt ad finem naturalem, quædam ad ſupernaturalem. Et licet hanc poſteriorem per fidem generatim cognoſcamus; multa tamen experiuntur non pauci, quæ cogant fateri eſſe prouidentiam, etiam ſpecialem, ad finem ſupernaturalem, ad eamque ſpectant communiter miracula & flagella diuina, & beneficia extraordinaria, quorum plurima & in gratiam alicuius aut aliquorum ſpecialiter fiunt, & omnibus in commune prodeſſe poſſunt.

*Prouidẽtia eſt multiplex, generalis, ſpecialis, naturalis, ſupernaturalis.*

17 Quartò, inter huiuſmodi fines, & inter bona per prouidẽtiam diuinam intenta, ſubordinatio quædam eſt: naturalia enim ex intentione Dei referuntur ad ſupernaturalia: & bona particularium ad bonum Vniuerſi: & inter particularia, quæ ſunt inferiora referuntur ad ſuperiora, & ad magis præcipua: & denique omnia ad Deum ipſum, iuxta illud Prouerb. 16. *Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*: vel vt habet alia verſio, *operatur*. Ex quo loco intelligitur Deum, in omnibus quæ operatur, ſeipſum aliquo modo velle, & ſuam bonitatem amare. Quæ dupliciter intelligi poteſt eſſe finis diuinæ prouidentiæ. Primò, tanquam communicanda & oſtendenda. Secundò, quatenus diuina bonitas, ſeu beneficentia, & charitas ac benignitas, propter ſeipſam voluit opera ſua, & eorum effectiones, tanquam ipſi conuenientes & conſentaneas. Non tamen propter ſe operatur Deus quidquam quaſi eo indigens, vel proximè, vel remotè. Neque enim Deus ſuis operibus indiget, vt ratione naturali notum eſt, & confirmat Apoſtolus Act. 17. & Dauid Pſalm. 15. Sed operatur omnia propter id quod in illis eſt optimum: optimum autem in illis eſt, non quòd ipſa ſint, ſed quòd Dei voluntati & benignitati conueniant, cuius eſt benefacere & communicare ſe: Item quòd Deum oſtendant & prædicent, ſintque materia laudis eius & gloriæ, iuxta illud Pſalm. 18. *Cœli enarrant gloriam Dei*, &c.

*Subordinatio eſt inter fines per prouidẽtiã intentos.*

18 Ipſam quoque totam rerum vniuerſitatem, præſertim creaturarum intellectualium, eſſe finem particularium rerum, quæ in ea continentur, affirmat D. Thom. qu. 22. art. 4. in corp. idque rationi eſt valde conſentaneum. Etenim vniuerſitas perfectiſſimum quiddam eſt, conſtans ex particularibus bene ordinatis, in quo ſapientia, potentia, & bonitas Dei magis elucent, quàm in ſingulis partibus. Ideóque vniuerſitas tota Deum propinquiùs attingit, vt finem, quia eſt perfectius Dei opus, magis conueniens ipſius ſapientiæ, potentiæ, bonitati, in quo eſt maior diuinæ bonitatis communicatio, maior diuini honoris & gloriæ materia. Quare Deus propter ſe, & propter ſuam bonitatem præcipuè intendit vniuerſitatem rerum, & maximè creaturarum intellectualium, in quibus potiſſimum Dei bonitas & beneficentia exercentur. Et quemadmodum in homine cætera omnia ſunt propter mentem, in qua fœlicitas ipſa completur: ita totius vniuerſi reliquum eſt propter homines & Angelos: & hi rurſus ſunt propter Chriſtum, veluti quædam membra myſtica propter caput, & propter præſtantiſſimum omnium rerum: iuxta Apoſtolum 1. ad Cor. 3. v. vlt. *Omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei.*

Præterea in hominibus & Angelis multa conſiderantur, ſcilicet natura, gratia, gloria: quorum natura ad gratiam & ad gloriam, gratia item ad gloriam ordinatur. Et in his ipſis creaturis, ſicut eſt aliud alio melius, & vnum ad aliud valet: ita quod inferius eſt, refertur ad id quod eſt melius, & per quod amplius perficitur. Quare natura ad gratiam refertur, & gratia ad gloriam: quemadmodum gratia perficit naturam, & gloria eſt gratiæ conſummatio. Singuli quoque tum angeli, tum homines, & ordines omnes illorum, ad vnam vniuerſitatem creaturarum intellectualium referuntur, non ſolùm ſecundum eſſe naturæ: ſed etiam ſecundum eſſe gratiæ & gloriæ. Ad vtrumque autem, nimirum tam ad eſſe naturæ, quàm ad eſſe gratiæ & gloriæ, Deus media quædam conſtituit Angelis & hominibus. Similiterque aliis rebus, cauſas & adiumenta, ſiue vt eſſent, ſiue vt agerent, comparauit. Atque iſta eſt tota prouidentiæ fauorabilis materia, ſcilicet propoſiti fines, & media conuenientia, & res ad ſuos fines perducendæ per media. Circa quæ triplex diuina actio verſatur: ratio videlicet ſeu cognitio, conſtitutio ſeu decretum voluntatis, & applicatio potentiæ, ſeu exterior executio, quæ generatim prouidentiæ nomine comprehendi poſſunt vt docet ipſe D. Thom. quæſt. 22. partim, artic. 1. partim artic. 3. in corp. vtrobique. Alia verò prouidentiæ pars, permittens creaturas à fine ſibi conuenienti aberrare, habet pro materia adæquata, circa quam verſatur, creaturas aberrantes, aberrationem, & finem ſeu exitum finalem conuenienter à Deo ſtatutum, quo ipſe tandem omnia concludet & ad gloriam ſuam reducet. Pertinet enim ad Dei gloriam malos, inobedientes & refractarios ſibi ſubiicere, & propter peccata punire, iuríque ſuo læſo victimas illas immolare.

## SECTIO III.

*An & quomodo Deus rebus omnibus prouideat?*

20 Deus habet prouidentiã rerũ omnium.

D. Thom. quæſt.22. art.2. in corp. recenſitis Democriti, Epicuri, Rabbi Moſis, & aliorũ quorundã erroribus prouidentiam planè tollentibus, aut aliquid illi ſubtrahentibus, affirmat omnia diuinæ prouidentiæ ſubiacere, non tantùm in vniuerſali, ſed & in ſingulari. Ratio eius eſt, quoniam omnia ordinantur aliquo modo ad aliquem finem ab ipſo Deo. Quod ſine vlla exceptione veriſſimum eſt. Nam etiam minima, & ea quæ à cauſis ſecundis caſu eueniunt, quæque ab hominibus fiunt incogitanter, & ad nihil ab illis ordinantur: non effugiunt tamen diuinam cognitionem, & intentionem, ordinantem ea ad aliquem finem: putà ad Dei bonitatem vel beneficentiam patefaciendam, vel ad vniuerſi perfectionem. Ipſa quoque peccata non permittuntur à Deo ſine ordine ad aliquem finem, nempe ſaltem ad exercitium iuſtitiæ, quod tamen Deus antecedenter & à ſe intendere non potuit, ſed tantùm conſequenter ſuppoſito peccato. Vel ſi loquamur de peccatis quæ iam damnati committunt, quæque Deus non punit: Deus illa permittit, quia congruum eſt ſuaui regimini, Deique ſapientiæ & benignitati, vt permittat creaturas illas liberè agere, & concurſum naturalem non illis deneget. Non punit autem peccata poſt damnationem commiſſa: quia conueniens eſt Deum tempus conſtituiſſe, & terminum vitæ ſeu viæ, intra quam ſolum habetur ratio noſtrorum operum ad merendum vel demerendum.

Notandum verò eſt primò, tametſi omnia diuinæ prouidentiæ aliquo modo ſubiecta ſunt, quatenus omnia vel ſunt in fine aliquo quem Deus ſibi conſtituit, vel in mediis ad finem illum ſpectantibus, vel in ſubiectis ad finem perducendis: nihilo-

21 Deus non prouidet omnibus creaturis fauorabiliter.

minus Deum non ita circa res omnes ſe habere, vt eas omnes ordinet ad finem proprium intrinſecum, quod eſt proprium cuiuſque bonum. Quædam enim ſunt quæ cum proprio diſpendio ordinantur ad alias, vt cibus & potus, ad bonum animalium. Quod D. Thom. fatetur art.2. ad 2. Cùmque propriè loquendo prouidere alicui rei fauorabiliter, ſit illam ordinare ad finem ipſi conuenientem & fauorabilem; dicendum eſt Deum non prouidere fauorabiliter rebus quibuſlibet, loquendo etiam de brutis & inanimatis: omnibus enim creaturis intellectualibus fauorabiliter prouidit, quatenus omnes ad vitam æternam per media ſaltem ſufficientia ordinauit.

22 Notandum ſecundò, licet ad rationem prouidentiæ illius, quâ prouidetur alicui ſufficienter, non requiratur aſſecutio finis, ſed ſufficiat ordo per cauſas & per media idonea: tamen finis aſſecutionem, quando eſt, debere ad prouidentiam referri, & ad illam meritò pertinere; vt contra Durandum & Ferrarienſem rectè docet Valentia quæſt. 22. puncto 1. Sed licet ad rationem prouidentiæ communiter non requiratur niſi ordo in finem aliquem: Item licet ad rationem prouidentiæ illius qua prouidetur alicui in proprium bonum, non requiratur neceſſariò vt includat eius aſſecutionem: tamen ad hanc prouidentiam requiritur ordinatio talis ad finem & bonum proprium, vt per cauſas & adiumenta appoſita, poſſint impedimenta ſuperari: alioqui non bene proſpectum eſſet, neque ſufficienter prouiſum. Quod verò Deus creaturis omnibus intellectualibus ſufficienter ad ſalutem prouiderit, oſtendemus diſp.20.

Non prouidetur, ſi desunt media ad finem ſufficientia.

23 Executio prouidẽtiæ diuinæ partim à Deo eſt, partim à creaturis.

Nota tertiò, omnia quidem, etiam immediatè, ſubiecta eſſe diuinæ prouidentiæ, ſed non tamẽ ita vt Deus per ſe immediatè omnia exequatur, vt rectè docet S. Thom. qu. 22. artic.3. in corp. vbi ait, quoad actum interiorem, qui eſt ratio & cognitio ordinis rerum in finem (& idem intellige de actu voluntatis) Deum immediatè de omnibus diſponere: tamen quoad executionem Deum quædam gubernare per alia. Nimirum quia Deus quidem ab æterno immediatè & per ſe ſolum propoſuit ſibi fines quos voluit; & ad eos conſtituit atque decreuit media, vel quaſi media, quæ elegit aut permiſit. Attamen non omnia per ſe ſolum exequitur, ſed ad quædam adiungit ſecum aliàs cauſas: ſiue quòd ita neceſſe ſit, vt ad actus vitales: ſiue quòd Deus velit liberaliter dignitatem cauſæ rebus communicare, eaſque in partem gubernationis & executionis aſſumere. Ipſe nihilominus cum omnibus aliis agentibus ad omnem phyſicum effectum concurrit. Et nulli aliorum gubernationem ita commiſit, vt non priùs cognouerit quid futurum eſſet, & ſaltem decreuerit illud permittere, atque ordinarit ad aliquem finem.

Porrò executio partim in ipſa rerum creatione reperitur, quatenus ſaltem Deus per creationem dat vires & facultates naturales, ſine quibus multæ res creari non poſſunt, ſaltem connaturaliter: aut quibus bene diſponuntur ad fines ſibi conuenientes: vt in eo quòd Deus tot organis, tamque aptis ad ſuas functiones inſtruat corpora animalium: quódque illis imprimat inſtinctus mirabiles ad proſequenda ſibi vtilia, & fugienda noxia. Partim etiam conſiſtit in alia effectione Dei propria ſingulariter, vt in conſeruatione, & in infuſione qualitatum ſupernaturalium, in collatione auxiliorum gratiæ, & ſimilibus. Partim in concurſu generali, concurrentibus cauſis ſecundis, per facultates ſibi collatas. Quare executio ordinis rerum in finem, partim à ſolo Deo fit, partim non, ſed concurrentibus aliis cauſis, quæ tamen ſine Deo nihil poſſunt efficere.

Præterea

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

25 Præterea quamuis homines, & creaturæ aliæ intellectuales, poſſint ſibi atq; aliis prouidere, ſéque vel alios ordinare & promouere ad finem bonum, ſicut etiam ad malum: hæc tamen prouidentia humana, vel angelica, ſubeſt illi primariæ, & æternæ, quâ Deus per ſe ſolum ab æterno præuidit omnia, & voluit, ſaltem permiſſiuè, cum relatione in aliquem finem. Neque ita permiſit alicui ordinationem ſui, aut alterius in aliquẽ finem: quin ipſe tranſcendat, & circa vnumquodq; propriam per ſe ſolum prouidentiam habeat quoad actum æternum intellectus & voluntatis: ſitque ſimilis ei, qui alteri ita committit negotium aliquod, vt de eius actione iudicium ſibi reſeruet.

26 Dixi partem executionis prouidentiæ diuinæ poſitam eſſe in ipſa rerum creatione, ſaltem quatenus per illam accipiunt virtutes & facultates, quibus veluti mediis ad finem tendant. Nam de ipſa creatione, quatenus præciſè ipſummet eſſe rei attingit, eámque ponit in eſſe actuali, dubitari poteſt num ſit actus prouidentiæ circa res illas, quibus velut ſubiectis prouidentiæ, propriè dicitur prouideri: & num potius debeant priùs eſſe & accipere eſſe, quàm propriè dicantur prouidentiæ diuinæ ſubijci, vt obiectum cui, atque ab illa gubernari, & ad finem promoueri per media. Affirmat Leſſ. lib. 11. de perſect. diuin. cap. 2. quem ſequuntur aliqui recentiores. Contra verò negant Suar. lib. 1. de prædeſt. cap. 18. num. 12. & Didacus Ruis diſp. 4. de prouident. ſect. 6. Sed de hac controuerſia dicemus ſectione ſequenti.

27 Quod ſi quæras an, ſuppoſito quòd Deus aliquid creet, ſit neceſſaria prouidentia? Reſpondeo ex ſapientia & rectitudine diuina neceſſarium eſſe, vt ſi Deus creet, habeat finem aliquem, & ſciat ac velit ordinem in illum finem. Quoniam ad rectitudinem diuinam, & modum atque ordinem ſapientiæ, à quo Deus non poteſt deficere, pertinet vt Deus agat ſicut ſapientem & rectum decet; id eſt, vt agat propter finem, & ſecundum rectam intelligentiam. Non eſt tamen neceſſaria omnis prouidentia quæ nunc eſt, etiam ſuppoſita voluntate creandi & cõſeruandi. Nam v.g. Deus poſſet eſſe contentus opere & fine naturæ neminémque ad finem ſupernaturalem euehere. Poſſet item mala opera non permittere, aut permittendo non ordinare ad tam grauem pœnam. Poſſet etiam in ipſa creatione conſtituere vniuerſum in ſtatu perfecto, & ſimpliciter non indigens ordinatione rerum in finem, per media & cauſas futuras in executione. Neque enim adſtringitur vlli progreſſioni aut ſucceſſioni abſolutè non neceſſariæ: ſed poteſt, etiam ſine mediis, tribuere finem: atque etiam cum mediis eum tribuere ſimul tempore, cum ordine ſolo naturæ. Sicut enim poteſt eodem inſtanti ſimul cum diſpoſitione tribuere gratiam: ita poſſet & gloriam. Et ſimiliter poſſet alia multa ſimul agere quæ pertinent ad prouidentiam.

Sitne prouidentia neceſſario in Deo ex ſuppoſitione creationis rerum?



## SECTIO IV.

*Vtrum prouidentia rebus prouiſis neceſſitatem imponat?*

28 Reſpondeo cum D. Thom. quæſt. 22. artic. 4. in corp. prouidentiam diuinam quibuſdam rebus neceſſitatem imponere, non omnibus, vt falsò quidam opinati ſunt. Probatur, quia prouidentia, qua parte fauorabilis eſt, verſatur circa ordinem rerum in finem, quem Deus vult & conſtituit aliquando per media quæ neceſſariò ſint habitura effectum: aliquando per media quæ non neceſſariò, ſed mediãte libertate. Et verò vt rectè D. Thom. ibidem: Ad perfectionẽ Vniuerſi, quam Deus inter alios fines prouidentiæ ſuæ intendit, pertinebat vt inter effectus quidam eſſent neceſſarij, quidam liberi: vtque ad effectus contingentes & liberos apponeret Deus cauſas liberas, ad neceſſarios neceſſarias, quibuſcum concurrat iuxta cõditionem ipſarum. Quo autem modo cum certitudine & infallibilitate cognitionis & decreti diuini ad attingendos fines quos vult, ſtare poſſit contingentia & libertas cauſarum, & mediorum quæ ad fines illos aſſequendos conſtituit; partim liquet ex dictis de ſcientia & voluntate, partim liquebit ampliùs ex ſequentibus.

Prouidẽtia Dei non imponit neceſſitatẽ rebus omnibus.

29 Altera verò pars prouidentiæ, quæ permiſſiua eſt aberrationis à fine quem Deus antecedenti voluntate intendit, nulli imponit neceſſitatem aberrandi: alioqui Deus ſecum pugnaret, ſuámque illam intentionem primam & antecedentem irritaret & deſtrueret, neceſſitando ad eius oppoſitum: ſed tantùm permittit creaturam aberrare, volentem malè vti ſua libertate, eique concurſum generalem & naturaliter debitum non denegat. Atque inde eſt quod poſſunt homines, ſi velint, prouidentiæ diuinæ ſe ſubtrahere. Non quidem omni, ita vt nullo modo ſubſint diuinæ prouidentiæ, ne quidem permittenti, ſeu permiſſiuæ: ſed quia poſſunt ſe ſubducere prouidentiæ fauorabili, eique repugnare, non tendendo ad finem antecedenter & primariò intentum à Deo, neque vtendo mediis ad finem illum appoſitis: ſed per negligentiam, vel malitiam & contemptum, reddendo ſe indignos vlterioribus mediis & auxiliis, ac tandem in eum ſtatum ſe coniiciendo in quo ſubſint æternæ miſeriæ, ſeruiántque inuiti Dei gloriæ per ordinem ſuæ iuſtitiæ. Sicut è contrario iuſti poſſunt magis ſe ſponte ſubijcere diuinæ prouidentiæ fauorabili, ſinendo ſe ab ea regi promptiùs & faciliùs, maioremque de illa fiduciam concipiendo, ac ſe totos in Deum proijciendo, vt ab eius nutu & voluntate omninò pendeant: & denique mediis ſibi à Deo datis meliùs ac meliùs cooperando, vt plura vel maiora obtineant, & in via ſalutis æternæ maiores progreſſus faciant.

Poſſũt homines aliquo modo ſe ſubtrahere diuinæ prouidentiæ, & ſe magis illi ſubiicere.

30 Notandum autem prouidentiam fauorabilem non ſolùm verſari circa finem ſalutis æternæ; ſed etiam circa alios inferiores, tum ſupernaturalis ordinis, tum etiam naturalis. Cuiuſmodi fuit ordinatio Ioſephi in principem Aegypti, Moſis in ducem & legiſlatorem populi Dei, Aaronis in ſummum ſacerdotem, Dauidis in regem. Item prouidentiam fauorabilem, & permittentem aliquando ita coniungi, vt idem actus, ſiue eadem executio, ad vtramque pertineat ſub diuerſo tantum reſpectu. In cuius rei exemplum afferunt aliqui venditionem Ioſephi, quæ, inquiunt, fuit permiſſiua reſpectu peccati fratrum vendẽtium ad malum finem: & fuit fauorabilis reſpectu Ioſephi, quem Deus vendi permittebat, & duci in Aegyptum, vt ea occaſione illum Aegypti principem conſtitueret. Sed conſiderandum eſt non ſufficere ad prouidentiam quæ permittens vocatur, permittere aliquid: ſed opus eſſe permitti à Deo ex præuiſione exitus finalis, alterius ab eo quem Deus antecedenter intendit, ad quem exitum permiſſionem illã referat. Quo pacto permittit peccata reproborum, ad oſtenſionem ſuæ iuſtitię in eorum damnatione: & obdurationem Pharaonis, ad oſtenſionem ſuæ potentiæ, Ex. 9. v. 16. Non puto autem fratres Ioſephi excidiſſe à ſalute æterna. Et illius venditio fuit à Deo permiſſa, vt pararet illis auxilium & refugium in tempore famis, quod pertinebat ad prouidentiam eorum fauorabilem. Sicut pertinet ad prouidentiam fauorabilem erga prædeſtinatos, quòd Deus interdum permittat eos labi in peccatum mortale, vt occaſione lapſus fiant cautiores & feruentiores: ſuæque ſalutis ſtudioſiores.

Prouidẽtia fauorabilis verſatur circa multos fines: & aliquando coincidit cum permiſſiua.

31 Aptius ergo exemplum dari poteſt in morte Chriſti, & Martyrum, quæ pertinebat ad prouidentiam permittentem reſpectu occidentium iniuſtè, & damnatorum ea de cauſa: ad fauorabilem verò, reſpectu Chriſti & ſanctorum, quorum mortem Deus ad ipſorum gloriam æternam referebat, eáque tanquam medio illius conſequendę vtebatur, non voluntate quidem antecedenti circa mortem iniuſtam (non enim poteſt antecedenter velle peccatum) ſed conſequenti & ſupponente præuiſionem malitiæ occidentium, ſi non vellet concurſum ſuum illis negare.

32. Supereſt quærere, vtrum ipſa creatio, ſeu prima productio rerum earum quibus propriè dicitur Deus prouidere, ſit pars executionis prouidentiæ circa illas? Affirmant Leſſius lib. 1. de perfect. diuin. cap. 2. & aliqui Recentiores. Negant vero Suar. lib. 1. de prædeſt. cap. 18. num. 12. & ſequentibus. Et Didac. Ruis diſput. 4. de prouidentia ſect. 5. Quæſtio eſt de nomine, & neutrius ſententiæ argumenta conuincunt.

Vtrũne creatio pars prouidentiæ?

Ratio Suaris eſt, quia prouidentia ſupponit exiſtere, ſaltem in mente diuina, vel, vt alii loquuntur, in præſentia æternitatis, rem cui prouidetur. Ita enim comparatur in æternitate ratio prouidentiæ ad rem futuram: ſicut in tempore executio prouidentiæ, quæ eſt gubernatio, ad rem exiſtentem. Gubernatio autem non eſt niſi rerum iam exiſtentium: Ergo prouidentia non eſt niſi rerum, quæ ſecundum ordinem rationis ſupponuntur futurę. Adde quod prouidentia eſt de mediis. Ergo ſupponit inſtitutionem rei ad talem finem. Ergo ſupponit etiam voluntatem creandi illam ad talem finem. Ergo ſupponit in æternitate rem illam vt futuram. Hæc Suarez.

Cui facile reſponderi poteſt, non ſolùm eſſe prouidentiæ fauorabilis, res quibus propriè loquendo prouidetur, gubernare: ſed etiam generaliùs ordinare res illas ad finem ſibi conuenientem & fauorabilem. Poteſt autem res ipſâ creatione ordinari, ſi nimirum ad illum finem à Deo creetur, quemadmodum Suarez cap. cit. n. 13. docet prædeſtinatos creari propter gloriam, & ipſam creationem eſſe partem executionis prædeſtinationis, quę idcirco iuxta Suar. non ſupponit eum qui prædeſtinatur, exiſtere aut extiturum eſſe; ſed tantùm poſſe eſſe, & poſſe ad illum finem ordinari, ac propter illum creari. Si autem poteſt iuxta Suar. creari res in ordine ad finẽ ſupernaturalem, qui eſt gloria: quidni etiam in ordine ad finem naturalem, qui pertinet ad prouidentiam? Negari etiam facilè poteſt prouidentiam eſſe ſolùm de mediis: eſt enim etiam de fine, & de re ipſa quam ordinat ad finem. 33

Argumentum vero Leſſii in contrarium, eſt, quòd mundus non ſit caſu factus. Ergo conſilio & prouidentia. Ergo ipſa creatio rerum eſt aliqua pars executionis prouidentię. Sed neque hoc argumentum conuincit. Reſpondebit enim probabiliter contraria ſententia, creationem rerum aliarum poſſe quidem eſſe partem executionis prouidentiæ qua prouidetur alteri: quo pacto mundi creatio fuit pars executionis quâ Deus prouidit homini, cui tanquam Regi creaturarum corporearum priùs fuit extruendum palatium, vt in illud introduceretur: quemadmodum ait Gregorius Nazianzenus oratione 43. non longe poſt initium: Sed creationem ipſiuſmet rei, cui prouidetur, non eſſe partem executionis prouidentiæ, quâ illi prouidetur: Exempli gratiâ, creationem Adami non fuiſſe partẽ executionis quâ Deus prouidit Adamo. Nam creationem illius præſuppoſuit, & Adamum ipſum, ſaltem vt futurum: velut materiam gubernationis, quæ omnium conſenſu diſtinguitur à creatione, illámque præſupponit. Quare hoc argumentum non probat quod probandũ eſſet. 34

Secundò, ſic argumentantur aliqui Recentiores: Quemadmodum creatio hominis eſt maximum beneficium, quod fit homini qui creatur: ita eſt maximum opus prouidentiæ quâ ei prouidetur. Nam cui beneficium confertur, illi optimè prouidetur. Verùm ſicut illi beneficium confertur intranſitiuè tantùm: quia non accipit aliquid à ſe diſtinctũ, 35

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

confertur, illi optimè prouidetur. Verùm ſicut illi beneficium confertur intranſitiuè tantùm: quia non accipit aliquid à ſe diſtinctum, ſed tantùm accipit vt ſit id quod eſt: ſic illi tantùm prouidetur intranſitiuè. Confirmant, quia, inquiunt, Aduerſarij fatentur, ſi res in creatione accipit virtutem quâ ſe promouet ad finem; creationem, quatenus imprimit illam virtutem, eſſe executionem prouidentiæ. Atqui ipſum eſſe ſubſtantiale præciſè ſumptũ reddit rem magis aptam ſuo fini cõſequendo, quàm vlla virtus diſtincta: omnium enim bonorũ fundamentum eſt eſſe: Ergo creatio quatenus dat eſſe, tam eſt executio prouidentiæ, quàm quatenus imprimit virtutem diſtinctam ab eſſe. Confirmant ſecundò, quia ſi eſſet poſſibilis creatura aliqua, eſſentialiter in actu ſecundo viuens & beata: eius creaturæ effectio eſſet conſummata prouidentia in executione, quia vlteriùs nihil ei prouideri deberet. Ergo falſum eſt quod priùs debeat eſſe, vt ei prouideatur.

Sed his omnibus reſponderi facilè poteſt pro contraria opinione: Ad primum, negando Maiorem, cum eius probatione. Non enim quodcunque beneficium conferre, ſeu quodcunque bonum facere, eſt prouidere alicui: ſed illum gubernare, vt ſupponit opinio Suaris: gubernatio autem differt à creatione, & illam præſupponit, æquè ac conſeruatio. Ad primam confirmationem reſponderi poteſt, actionem quæ imprimit illam virtutem, ſupponere creationem rei cui imprimitur, quæque per illam incipit inſtrui mediis ad finem conſequendum: & hoc totum eſſe cauſam cur hæc actio ſit executio prouidentiæ, non autem præciſè creatio. Ad ſecundum: Talis creatura, ſi eſt, poſſibilis, non indigeret prouidentia, id eſt gubernatione, quæ vt ait D. Thom. qu. 22. art. 3. eſt rerum ad finem directio in executione, per media ſcilicet idonea: ſed egeret tantùm conſeruatione ſui eſſe, per quod ſolum haberet, id quod nos habemus per adeptionem finis, & per media ad illum conſequendum nobis ſuppeditata à diuina prouidentia. Concludo itaque neutram ſententiam ſatis probare quod intendit. Poſterior tamen, quæ negat, mihi videtur eſſe communi ſenſui magis accommodata. Nam in humanis Pater non dicitur prouidere filio, cum illum producit: ſed cum præſciens aut ſperans illum eſſe futurum, parat quæ illi naſcituro conuenientia ſunt: aut iam nato pręparat & ſuppeditat media ad finem illi fauorabilem idonea.

---

# DISPVTATIO DECIMA NONA,

## De Prædeſtinatione.

Sectio I. *Quod intelligant Theologi nomine Prædeſtinationis?*
Sectio II. *An & quomodo Deus naturas intellectuales, aliquas ad vitam æternam prædeſtinauerit, alias reprobauerit?*
Sectio III. *Vera ſententia probatur ex Scriptura.*
Sectio IV. *Probatur eadem ſententia ex Patribus, & nominatim ex S. Auguſtino.*
Sectio V. *Eadem probatur rationibus Theologicis.*
Sectio VI. *Confirmatur eadem veritas pluribus aliis rationibus.*
Sectio VII. *Solutio obiectionum ex Scriptura.*
Sectio VIII. *Solutio obiectionum ex Patribus.*
Sectio XI. *Solutio argumentorum ex ratione.*
Sectio X. *Soluuntur alia quædam Suaris argumenta.*